

deratis rationibus positum esse. Possum profecto in quibusdam falli, possum in multis: qualia cum minime dubitem quin sagaciores aliquando vel correcturi sint vel perpolituri probabiliter, tamen idem confido id non timiditate potius quam audacia maiore effectum iri. Nam tantum fugere qui sapiunt vix potest, saepicule sine aliqua audacia nihil profici in instaurando Plauto, quo teste *qui homo timidus erit in rebus dubiis, nauci non erit*: modo via ac ratione coercita audacia in temeritatem ne vertat, solido autem fundamento hoc nitatur, ut tralaticiae memoriae et per aliquot saecula propagatae futilitate probe perspecta atque e communi conspectu utiliter remota operae pretium factum esse etiam sine certa veri indagazione videatur. Omninoque, ut dicam quod sentio, mirabiliter abuti ratione existimo qui, dum criticae artis modestam audaciam sibi scilicet negatam exosi increpant hoc genus universum et contra felicem ingenii usum omnem lapidem movent, adeo sibi non constant ut multo maiorem audaciam exosculantes miris explicandi artificiis et interpretandi praestigiis insolentissima quaeque male creduli excusent temereque defendant quae nec dicta sunt unquam nec potuerunt dici, ut quae nec latina sint nec Plautina ac saepe ne sana et humana quidem.

Reliquis autem corruptelae generibus cum gravius esse hoc soleat quod integrorum versuum interpolatione continetur haud raro cum partium transpositione coniuncta: quoniam unum eiusmodi ex Milite exemplum accidit ut per nuperam opportunitatem academicam paulo explicatius tractarem, eo commentariolo non abs re esse duxi hanc praefationem terminare pauculis tantum mutatis additisve. Est autem hic.)*

Militis gloriosi versum 185 quae excipiunt, quoniam aliter in aliis libris prodita sunt et cum gravissima quidem discrepantia, eorum codicum memoriae, e quibus per quatuor saecula editores Plautini pependerunt, Ambrosiani te-

*) Hanc disputationem repeti ipse Ritschelius voluit, ut ex adnotationibus marginalibus constat. Quamquam igitur de singulis differt meum iudicium, Ritschelii voluntati obtemperavi, cum praesertim qui hunc locum difficillimum tractaverunt plerique omnes a Ritschelii verbis profecti sint.